



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De desiderio animæ sitientis Deum, 3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

auctor es, quod facere non potes. Qui nihil non potes, nec unquam quicquam te fecisse poenituit. Cujus bonitate facti sumus, & justitia poenas luimus, & clementia liberamur. Cujus omnipotentia omnia gubernat, regit, & implet, quæ creavit. Nec ideo te implere omnia dicimus, ut te contineant; sed ipsa potius à te continentur. Nec particulatim imples omnia, nec ullatenus ita putandum est, ut unaquæque res pro magnitudine suæ portionis capiat te: id est maxima majus, minima minus; dum sis potius ipse totus in omnibus, & omnia in te. Cujus omnipotentia omnia concludit, nec evadendi potentiam tuam quis aditum invenire poterit. Qui enim te non habet placatum, nequaquam evadet iratum.

C A P V T I I I.

De desiderio animæ sentientis Deum.

I. **T**E igitur clementissime Deus invoco in animam meam, quam præparas ad capiendum te ex desiderio, quod inspiras ei. Intra, rogo, in eam, & coapta eam tibi, ut possideas illam, quam fecisti & refecisti; ut habeam te velut signaculum super cor meum. Quæso piissime, invocantem te non deseras; quia priusquam te invocarem, me vocasti, & quæsiisti: ut ego servus tuus te quærerem, quærendo invenirem, & inventum amarem. Quæsiivi, & inveni te Domine, & amare desidero. Auge desiderium meum, & da quod peto; quoniam si cuncta quæ fecisti mihi dederis, non sufficit servo tuo,

tuo, nisi teipsum dederis. Da ergo teipsum mihi: Deus meus redde te mihi. En amo te, & si parum est, amem validius. Tui ergo amore teneor, tui desiderio flagro, tui dulci memoria delector.

2. Ecce, dum tibi mens mea suspirat, & tuam ineffabilem pietatem meditatur, ipsa carnis sarcina minus gravat, cogitationum tumultus cessat, pondus mortalitatis & miseriarum more solito non hebetat; silent cuncta, tranquilla sunt omnia. Cor ardet, animus gaudet, memoria viget, intellectus lucet, & totus spiritus, ex desiderio visionis tuæ accensus, invisibilem amore rapi se videt. Assumat spiritus meus pennas ut Aquilæ; volet, & non deficiat: volet, & perveniat usque ad decorem domus tuæ, & thronum gloriæ tuæ; & ibi super mensam refectiois civium supernorum pascatur de occultis tuis, in loco pascuæ juxta fluenta plenissima. Tu esto exultatio nostra, qui es spes nostra, salus atque redemptio. Tu esto nostrum gaudium, qui es futurus præmium. Te semper quærat anima mea, & tu præsta ut quærendo non deficiat.

C A P V T I V.

De miseria anima, quæ Dominum nostrum Iesum Christum non amat, nec quærit.

1. **V**Æ miserae animæ, quæ Christum non quærit, nec amat, arida manet & misera. Perdit quod vivit, qui te Deum non diligit. Qui curat vivere non propter te, Domine, nihil est, & pro nihilo est. Qui tibi
vive-